

AD M. LUTHERVM.

Vere nisi uidissem, splendore nominis Lutherani multos fascinari adeo, ut citra omne iudicium, uerum credant, quicquid scribit, ad hæc tam modis omnibus humana, haudquaquam respondissem. Quid mihi de regno Christi obijcit, quod spiritale est, dum ego de operibus loquor corporalibus? Scio spiritalia spiritaliter adparere, corporalia corporaliter. Opera Dei uera sunt, atq; uirtute sua & operationibus nunquam destituuntur. Edunt spiritaliter Christiani Christum, id spiritaliter, per uitæ pietatem, ita habere declaratur. Corporalis nulla re proditur, igitur non est. Remoto enim proprio, remouetur & cuius proprium existit. Num uitiosa hæc disputatio? Sed his nihil, spiritu dei, auferente à nob. τὴν φιλαυτίαν & caliginem ab adulatorum fumis, obfusam, proficeretur.

RESPONSIO AD OCTAVVM.

His inquit spiritibus credat doceri ueritatem, si quem perire delectat. Hoc elogio commendat Lutherus Ecclesijs, Christum & sanctum eius Euangelion, quod sinceriter prædicamus. Vtriam, sacramentario, id est commenta hominum propugnanti, an Christi spiritui ueritatem Dei tuenti, hoc dictum tribuemus? Spiritus Christi in Paulo gaudet Christum prædicari etiam à malis, & praua occasione. Nos credentes Domino nostro IESV Christo, cuius contrarium à fructibus nostris, isti nunquam probabunt, et nulla praua occasione, iudex sit deus, Euangelio, docemus.

VIII.